



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Quòd Ecclesiasticus orator interdium vti debeat translatis, ad rem magis  
exprime[n]dam. Cap. VIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)



orator, eo magis suspicionem ostentationis effugiet. Propria verba dicuntur ea, quæ communi loquendi usu, recepta sunt, & rem significant, ut magister, philosophus, theologus, reprehendere, dicere, laudare. Non est autem proprijs verbis utendum, cum præsertim prolata, sine verecundia audiri nequeant, aut etiã horrorem incutiant. Sunt quædam corporis partes, quæ proprijs nominibus explicanda non sunt, sed adhibita circumlocutione: insignium etiã & nefandorum peccatorum nomina, suppressenda sunt, & raro admodum proferenda.

Quòd Ecclesiasticus orator interdum uti debeat translatis, ad rem magis exprimendam.

Cap. VIII.

**T**RANSLATA verba, sunt ea, quæ à propria significatione, ad aliam non propriam, per similitudinem transferuntur; ut sophistæ appellati sunt venatores adolescentium, diuitum in primis, gratia, dicitur fons vitæ; charitas, anima virtutum. Orator Ecclesiasticus cum propositam tantum habeat gloriam Dei, & salutem animarum, translatis eatenus utetur, quatenus id quod sibi proposuit in auditorum animis possit imprimere. Agnum immaculatum appellabit Christum, ut magis excitet ad mansuetudinem; martyres athletas, ut victorias martyrum ante oculos ponat, et ad pugnam cum domesticis inimicis hortetur. Christianos appellabit milites, ut eos magis ad minimè formidandam mortem excitet; orationem, clauem cali; charitatem, ignem amoris nominabit. Multæ autem sunt in translationum usu adhibendæ oratori cautiones. primùm, nè à remotis sumantur; ut si quis audacter



daſter dicat Chriſtum ſereniſſimum, quia rex, quia eo nomine reges appellatur; deindè, nè ab vlla re turpi profiſcantur; vt ſi quis Deum patrem, carnificem Chriſti nominet; iuſſit quidem, vt propter peccata hominum moreretur, vt illa morte, diuina iuſtitia eſſet ſatiſfactum, & cali ianua aperiretur fidelibus, non idè tamen appellari debuit carnifex. Atque, vt paucis dicã, translationes faciles, à rebus pulchris deſumptæ, & iudicio, quod ſuccum prudentiæ ſapientes homines appellârunt, adhibito, illuminant orationem. quibus trãſlationibus ſanctiſſimorum patrum libri abundant, præſertim Græcorum, qui in metaphoris & ſimilitudinibus excogitandis, mirabiliter excelluerunt. Differt autem metaphora à ſimilitudine hoc tantum, quòd metaphora eſt breuior, & idem exprimit ſine coniunctione, vt, Diabolus eſt leo, metaphora eſt: ſimilitudo, Tanquam leo rugiens. At animaduertendum eſt, nè clerici frequētibus verbis translatis frigidam efficiant orationem; & vtentes illis, non veluti condimentis, ſed tanquam cibus, ſatietaſtem, aut potiùs nauſeam, pariant. quod quibuſdam contigiſſe, noſtra tempeſtate, prudentes viri obſeruârunt.

De verbis ſimiliter cadētibus, & diminutiuis.

Cap. IX.

**V**ERBA ſimiliter cadentia, iucundam interdum efficiunt orationem; ſed raro clericis uſurpanda ſunt, nè in affectationis ſuſpicionem incidant. Pulchrum huius figuræ exemplum eſt apud B. Bernardum: Mundus clamat, deficiam; caro clamat, inficiam; demon clamat, decipiam; Chriſtus clamat, reficiam. Interdum in diminutiuis ad augendam orationem, interdum ad

minuen-